

A scopi vacuandi, & nutriendi, nec simplicium, vt compositorum affectuum: præcedant; tamen
 rum enumeratione, tum inuestigatione qui suapte natura, vel cogente tractatione primi exi-
 stunt; à quibusque reliqui nascuntur. Vbi enim non constat esse agendum, primum est, quod
 quæritur, an agendum sit; deinde quæ, & quot agenda. Quòd si plura occurrunt, quæritur statim
 ordo, si modo illa simul obiri nequeunt. Succedit postea quid in vnoquoque agere oporteat, & re-
 liqui deinceps scopi sequuntur, vt superius enumerauimus. Ac quantum quidem necessaria sit ho-
 rum scoporum consideratio, tum in opere nostro abundè ostendimus, tum ex hoc maximè patet,
 quòd medicorum consultationes, & libri, qui de medicina practica (vt aiunt) sunt scripti, contem-
 pto, quem à principio posuimus, secundo scopo, incerti reddantur, omnique arte careant. Nam
 postea quàm abundè de generibus, differentijs, causisque morborum in illis disputatum est, aggre-
 diuntur omnes docere quali aere sit opus, quod genus alimenti conueniat, & nescio quæ de somno,
 & vigilia, excretis, retentis, animique perturbationibus præcipiunt; quæ nec omnibus affectibus, &
B causis, quæ præsidia sua postulant, nec iisdem malis ab initio vsque ad finem competunt; quæ qui-
 dem (vt omnibus pateant) operæpretium esse duco exempla quædam adferre ex illis consultationibus,
 & libris excerpta. Igitur si quis illorum fortè phrenitidis curationem instituat, dicet vnus quinque
 intentionibus eam absolui, victus scilicet ratione tenui, & adstringente, auertentibus, repellenti-
 bus, intemperiem calidam capitis corrigentibus, & materiam digerentibus. Addet alius aliam ex aere,
 alius verò alias ex alijs. Nec vnquam inuenire est duos practicos, aut consultantes de eodem affe-
 ctu, qui in his suis intentionibus consentiant. Verum hoc grauius est malum quòd non doceant,
 quur his præsidijs sit opus, sed de eorum numero statuunt legumlatorum more. Quòd si etiam demus
 illa esse necessaria, non tamen propterea semper sunt adhibenda. Quare præscribendum esset quâdiu,
 & quatenus nullis sit vtendum. Si. n. fortè fluxio auertentia postulat, ea cohibita desistendum erit ab his
 auxilijs, quæ contra illam faciunt, & ad alia properandum, quæ succurrant alijs malis, quæ adhuc in cor-
 pore consistunt. Quòd si aliqua sunt quæ per vniuersum morbum in vsum veniunt, non tamè propte-
C rea illa eiusdem nature perpetuo esse debent. Nam aerem frigidum in phrenitide ab initio imperamus, vt
 repellatur humor à capite, refrigereturque, atque ita ad fluxionem ineptior reddatur. Verum quum resti-
 tit iam fluxio & id, quod impactum est in cerebro, digerere discutereque; oportet, vt ab alijs repellentibus.
 recedimus ad digerentia; sic aerem calidum, aut certè non frigidum tunc eligere oportet, mutanda-
 que erit somni, vigiliæ, cibi, potitionis, & aliorum omnium ratio, ad eò vt temerè illi vnâ viuen-
 di rationem, per vniuersum morbi cursum ægrotantibus iniungant. Quæ quidem incommoda ne-
 mo vnquam aut scribendo, aut consultando, aut ipse solus medendo fugere poterit: nisi proponat
 qui nam, & quot sint affectus, contra quos sit pugnandum. Nam eo inuento non solum multo
 plura licebit excogitare auxilia, quàm illi faciant, sed etiam illud intelligemus, quando sit ab vno ge-
 nere iam recedendum, & transeundum ad reliqua; quandoque varianda, quæ in continuo sunt vsu,
 & demum quiescet certo numero rerum inuento. Ac vt in exemplo proposito versetur, colliget
 medicus ex his, quæ antea de essentia, generibus, differentijs, causisque malorum infestantium
D corpus docuimus in eo, qui phrenitide laborat, duo esse imprimis, quæ nostram operam postulent,
 vires inquam, quæ sui conseruationem indicant, & id, quod est præter naturam, quod sui abla-
 tionem monstrat, quinque verò potissimum esse præter naturam, fluxionem, causas fluxionis, id
 quod influxit, febrem, illiusque causas; incipiendum verò esse ab eo, quod est præter naturam,
 quoniam magis urget, quàm id, quod secundum naturam est. His autem, quæ sunt præter naturam
 vel omnibus statim, vel ei certè, quod maximè infestat, succurrendum esse. Rursus in vnoquoque
 ex prædictis quæret quæ & quot præstare oporteat. Etenim fluxio nunc reuulsionem, nunc deriu-
 tionem, nunc vtutrumque exigit, fluxionis verò causæ requirunt quoque propriam, certamque abla-
 tionem. Id autem quod influxit, in hoc casu solam digestionem; febris autem refrigerantia. Il-
 lius verò causæ quædam aperientia & hæc incisionem, extenuationem, aliæ concoctionem, aliæ
 verò euacuationem eorum, quæ iam sunt corrupta vel apta ad corruptionem. Ex quibus quæ, &
 quot præstare generatim, speciatimque oporteat, cognoscitur. Idem igitur in alijs affectibus fa-
E ciendum, nec aliqua ratione committendum, vt secundus hic scopus prætermittatur absque diligen-
 ti hac consideratione. Ex illa enim postea certus numerus, certa que ratio præsidiorum, quæ in ter-
 tio scopo continentur, resultant: de quo iam agendum, præsertim quòd etiam in hoc probare ne-
 queam quod à multis medicis obseruari video. Solent enim illi in consultationibus præsidia primum
 petere à sex rebus (vt vocant) non naturalibus; postea verò a medicamentis. Qua quidem in re
 illud imprimis reprehendere licet, quòd in grauisimis affectibus a leuissimis auxilijs exoriantur. Ve-
 luti si quis in præsentis morbo statim dicere conaretur, quali aere sit opus, & de luce disputaret, quum
 de venæ sectione, purgatione, aut alijs generosis remedijs ab initio differendum esset. Deinde est
 quod damnum hoc institutum alia ratione, quòd scilicet illa sex non naturalia non semel sint percur-
 renda, sed toties, quoties aliquid moliri volumus eorum, quæ in secundo scopo sunt comprehen-
 sa. Veluti quum fluxionum remedia quærimus, ab aere, reliquisque rebus non naturalibus auxilia
 Ioan. Argent. De Consultandi Rat. G 3 petenda,